

vectus ab Episcopis fuerat, ad Ecclesiae romanae uniformitatem reducerentur. Et quoniam sermo de Mediolanensibus est, sic Petrus Damiani et Cardinalis S. R. E. Branca Castillionaeus legati apostolici, alter Nicolai II., alter Eugenii IV., pro Ambrosiano Ritu tollendo eique romano substituendo plurimum, irritum licet conatu, adlaborarunt. Quae ideo dicta esse volo, ut intelligatur magis magisque, *primo*: aegre divelli homines a consuetudinibus, quas a majoribus acceperunt, neque mirum esse, si, quando id tentatur, turbae exeitentur et ad incredibilia pene rapiantur, ita ut in eis tractandis ac fraenandis summa prudentia item et charitate opus sit. Et quoniam de Cardinali Branca Castillionaeo paulo ante sermo incidit, notabile est, quod Bernardinus Corius hist. Mediolan. part. 5. Mediolani contigisse refert anno 1440, nimirum cives ad Cardinalis aedes cum facibus advolasse, minas incendii ingeminasse, nisi codex redderetur, quem ipsemet s. Ambrosius composuisse et scripsisse fertur, et quem Cardinalis acceperat a Praeposito s. Theclae, cujus custodiae concreditus erat; *secundo*: Romanos Pontifices, si res coepta ad felicem exitum perducere non potuissent, quin *Ecclesiae pax et concordia atque christiana charitas, cui omnes Ritus cedere et suffragari necesse est* (Mabillonius comment. in Ord. Rom. §. 21.), turbaretur, ab incepto consuevisse desistere et illud ad magis opportunum tempus reservasse.

Nolit autem aliquis putare accommodanda haec esse in tota extensione praesenti, in qua versamur, controversiae. Non enim hic agitur de tollendo Mediolanensibus Ritu aut codice Ambrosiano eique sufficiendo Ritu romano nec de carpendo civium zelo, si tenacius inhaerere videantur Ritui, in quo sive stabiliendo sive confir-

mando praeclarissimi qua sanctitate qua scientia eorum Archiepiscopi adlaborarunt, minime gentium, sed res tantum est de reassumendo romano Ritu in ea Ecclesia et ab iis Clericis regularibus, in qua et a quibus ex eorum incunabulis tamdiu servatus fuit, quamdiu licuit, per 200 scilicet annorum spatium, et a quo per vim et per temporum injuriam exturbari primum coeperunt anno 1789. Non is ego sum, qui audeam vel minimum me immittere in ea prohibitione, quae anno 1830 ab Emo Cardinali de Gaisruk Barnabitis inflictata fuit. Non possum tamen, quin animadvertam, nisi intercedat auctoritas sanctae Sedis, non teneri Barnabitas, ex apostolis literis Pauli III.: *Dudum felicis*, 8. Cal. Aug. 1535, ad alium usum (qui non sit secundum usum et morem rom. Ecclesiae) super huiusmodi horis, missis et officiis dicendis observandum, nec ad id a quoquam invitos compelli.

Quae quidem reintegratio Barnabitarum non in jure solum, sed in reali etiam exercitio, qua occasione poterat opportunum obvenire, quam faustissimae conventionis, quae inter sanctam Sedem et serenissimum Austriae Imperatorem toto catholico terrarum orbe plaudente, religione duce, inita est?

Satis aliunde notum compertumque est, Mediolanensibus, qui, cum, ut paulo ante dixi, *praecepta majorum* (s. Hieronymus ad Lic. ep. 28) *leges apostolicas arbitrentur*, a Ritu Ambrosiano nunquam se divelli paterentur, novum et inusitatum non esse romanum Ritu, quem quotidie ob oculos habent, non dicam *partialiter* in eorum Basilicis, sed plene ac totaliter in altera Barnabitarum Ecclesia s. Pauli. Notum pariter est jam ab aetate ipsa s. Caroli Borromaei Archiepiscopi in quibusdam Ecclesiis rom. Ritu celebrari consuevisse, cum ipse Synodo III. statuerit: *in Ecclesiis, in*

*quibus more romano celebratur, vetitus est Ambrosianus vel contra* (Petra constit. 22. Eugen. IV.). Et quinam ipsum s. Ambrosium, qui Basilicam dedicaturus erat, quinam, inquam, nisi Mediolanenses *uno ore interpellare coeperunt dicentes: sicut in romana sic Basilicam dedices*, ut ipsemet Ambrosius sorori suae Marcellinae scripsit (lib. 7. epist. 54).

Sed dum haec ergo in medium adduco, non dissimulo, ea late accipienda esse atque eo tantum casu huic quaestioni esse accommodanda, quo sartus tectus Ambrosianus Ritus Mediolanensibus servetur in iis, quae curam animarum recipiunt. Atque ut rei hujus, quam assero, exemplum aliquod adducam, illud oculis ipsis nostris sese offert in Ecclesia abbatali percelebris monasterii Cryptae Ferratae, ubi Monachi Basiliani graeci Ritus in communi vitam agunt. Unica ibi extat Ecclesia, in qua per unum et alterum e monachis illius familiae juxta privilegium cunctis Basilianorum graeci Ritus monasteriis a Benedicto XIV. gl. me. per literas in forma Brevis anno 1751 renovatum et modificatum animarum curam romano Ritu exercetur. Si quis autem scire velit, quaeenam praecise sint parochiales functiones, in quibus parochus Ritu adhibet romanum, respondet recentissimum testimonium, quod ego prae oculis habeo, Rev. P. Prioris illius monasterii; „in tutte le funzioni parrocchiali che esercita, usa il parroco il rito romano; ma queste si restringono, oltre la messa e l'ufficio, solo all'amministrazione dei SS. Sacramenti, all'associazione dei cadaveri, e alla solenne benedizione de sacro fonte nel sabato santo, nel qual giorno celebra anche la messa annessa alla funzione, ma privata, e si la funzione che la messa di buon mattino, per lasciare libero il tempo alle funzioni monastiche di

rito greco. Eziandio nel giovedì santo celebra la messa privata per dichiarazione di S. A. Emma il Cardinal duca di Yorck, nonostante che si celebri puranco dal superiore la messa detta della comunione, e se ne canti un'altra unita al vespero conforme al rito greco.“ Et paulo ante subjungit: „Riservate al parroco le funzioni, di cui sopra . . . tutte le altre funzioni, della chiesa si fanno da tutta la famiglia monastica, e specialmente dal superiore e suo vicario. La messa e l'ufficio, e tutte quelle che fanno parte dell'ufficiatura, la settimana santa, le palme ecc., in rito greco; le altre funzioni, come benedizioni, preci pubbliche, processioni ecc. in rito latino; nel qual rito si amministrano quei sacramenti, che non sono riservati al parroco, e quei quali il medesimo deputa qualunque altro monaco.“ Super quibus illud arbitror esse animadvertendum, majus profecto discrimen intercedere inter Ritu latinum et graecum, quam inter romanum et Ambrosianum.

Et quoniam ab Archiepiscopo in supplici suo libello pro extensione ritus Ambrosiani in Ecclesia s. Alexandri Barnabitarum profertur „analogica concessio jam a Sanctitate Tua benigne facta anno 1853 die 28. Jan. Patribus Capuccinis paroeciam Majoris Nosocomii Mediolani administrantibus, quae pro eodem tenore (addita tamen mentione missae parochialis pro diebus dominicis ac festivis) etiam ad Barnabitarum paroeciam extendi posset“, quod confirmatur in altero supplici libello parochianorum, illud notandum esse existimo, praefatam analogiam in casu Barnabitarum vel nullam esse vel nimis latam, *primo*: quia Capuccini de mutando Ritu auditi fuerunt per procuratorem generalem ordinis, *Sanctitas Sua audito P. procuratore generali Ordinis*, neque in-

viti ad id coacti sunt, cum data sit facultas *Archiep. Mediolanen. indulgendi religionis Capuccinis etc. . . . , ut suprascriptas functiones parochiales juxta Ritus Ambrosianum facere possint et valeant.* Profecto volenti et consentienti nulla fit injuria. *Secundo:* quia concessio et indulgentia recta aptabatur Capuccinis, qui ad Ritus romanum sequendum generali tantum adstringebantur, cum e contra Barnabitis urget lex particularis et positiva etiam in urbe Mediolanensi, et in ipsa etiam parochiali Ecclesia s. Alexandri, in qua ejusque domibus ac aedificiis et adhaerentis praedictis Sixtus V. in literis supra memoratis, concessit „unam domum dictae Congregationis juxta illius Ritus et Instituta regendam.“ *Tertio:* quia parochialitas exerceri debet a singulis individuis sacerdotibus, qui hospitali majori et adnexae expositorum domui deserviunt, et a Barnabitis per unum ex Presbyteris regularibus Congregationis.

An quorsum haec prosequor? Ut sternatur quodammodo via iudicio ferendo. Ea namque ratione in hac controversia procedendum esse duco, spectata praesenti rerum conditione, ac praesertim, ne videantur probari, quae gesta sunt sive a Josepho II. sive postea inconsulta Sede apostolica, ut integris firmisque servatis tum familiae Barnabitarum s. Alexandri jure, privilegio seu potius obligatione Ritus romani servandi juxta literas apostolicas et juxta eorum constitutiones, de quibus facta est mentio, tum facultativo rescripto, quod explicitis verbis die 16. Jan. 1856 precibus praepositi generali in actu s. visitationis edito die 30. Aug. 1856, non peremptorie, et, ut ita dicam, violenter, sed pedetentim et prudenter iis attentis, quae a Rmo Archiepiscopo et ab ipsis parochianis exposita sunt, Ritus romani

in parochiali Ecclesia s. Alexandri, in ea parte et in ea extensione, quae apost. Sedi videbitur, restitutio curetur. Ita, proportionem servata, factum fuisse apparet, cum anno 1821 nonnullae parociae, quae Mediolanensi Sede avulsae Novariensi cathedrae accesserunt, induci non poterant, ut, Ambrosiano Ritu posthabito, latino, ut necesse erat, se conformarent. Renamque proposita, jubente gl. me. Pio VII. in S. R. Congregatione auditisque consultorum votis, insinuatum est Emo Antistiti Novariensi, „ut mediis adhibitis, quae magis ei opportuna videbuntur, quin expresse praecipiat, allicere potius studeat parochos et plebem praefatarum parociarum ad Ritus romanum amplectendum.“ Non enim dissimulo parochianorum votis, quantum fieri possit, benigne esse prospiciendum. Interim vero, donec id perficiatur, nulla in praedicta Ecclesia inducenda esset innovatio in iis, quae ab anno 1830 fieri coepta sunt, quod grave Barnabitis esse non debet. Licet enim ipsi multis sane nominibus honorantur jure utendi Rito rom., animadvertere tamen debent, in facto eos jam ab anno 1789 debuisse se Ambrosiano Ritui conformare, ex quo forte factum est, ut populus illius parociae, qui paulatim ex mille, quibus antea constabat, ad 8000 animas excrevit patrio Ritui assuetus, repentina mutatione commoveatur; ipsa quippe mutatio consuetudinis (ait s. Aug. ep. ad Jan. 54. al. 118), etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat. Sciant insuper ob auctum parochianorum numerum providendum ipsis esse, ut is numerus sodalium suorum parociae regendae deputetur, qui Archiepiscopi indicio et animarum indigentis et parochialibus functionibus respondere queat. Hac agendi ratione certo sperandum est, ut omnia pacifice et sine animorum offensione ad felici-

cem exitum perducantur. Quod cum potissimum pendeat ex notitia personarum, locorum et peculiarium circumstantiarum, idcirco mihi videtur totum id negotii eidem Rmo Archiepiscopo remittendum esse. Qui profecto suum, hac in re, erga Congregationis (Barnabiticæ) jurata et canonicas leges obsequium testatum voluit, ut in supplici libello ipse affirmat, per supra memoratum rescriptum diei 16. Januarii 1756. Quibus praemissis, rescribi posset:

*Consulendum Sanctissimo ad mentem, et mens est:* quod S. Congreg. committendum censet Archiepiscopo Mediolanen., ut ipse, adhibitis mediis, quae ei magis opportuna videbuntur, curet prudenter removeri obstacula, instruendo populum subjectum ac praecipue sacerdotes parociae s. Alexandri, non agi quidem de iis transferendis ad Ritus alienum, at patrium Ritus sibi relinqui in iis, quae pertinent ad curam animarum, moneatque indignum esse religiosam familiam, cui, cum sit Ordo S. R. Ecclesiae, injunctum est in ipsa fundatione exercere Ritus romanum, prohiberi ab ejusdem usu in functionibus, quae parochiales non sint. Colligat interea Archiepiscopus opportunas notitias circa functiones parochiales, quae a Barnabitis Ritu Ambrosiano factae dicuntur per annos bis centum.

#### DECRETUM S. CONGREGATIONIS:

„Congregatio particularis Sacrorum Ritus rescripsit: *Consulendum Sanctissimo, ut in Ecclesia parochiali s. Alexandri eadem functiones Ritu ambrosiano peragantur, quae ad preces Rmi Archiepiscopi Mediolanensis indultae fuerunt PP. Capuccinis decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 28. Jan. 1853.*

Die 28. Apr. 1858.“

Decreta authentica. Tom. III.

„Hanc postmodum particularis Congregationis sententiam quum Sanctitati Suae retulerit subscriptus Secretarius, ipse SSmus Dominus, attentis peculiaribus circumstantiis a Rmo Archiepiscopo Mediolanen. in praecedenti supplici libello narratis, superius particularis Congregationis rescriptum approbavit, rebus tamen sic stantibus et donec Sancta Sedes aliter providere non censuerit. Die 29. ejusdem mensis et anni.“

(Anal. J. P. 1861 p. 1146 — 1163.)

#### 2) Armenicus.

(Non mutat.)

Cum ad Notitiam SSmi pervenerit, Religiosos Armenos Ord. s. Antonii Venetiis degentes, in priv. missae celebratione contra proprios Ritus a s. Sede apost. approbatos oblationem panis et vini consecrandi non ante Introitum sed post Symbolum explere, eumque non in omnibus sed in aliquibus missis more Latinorum recitare, Sacramentum statim post Consecrationem elevare nec cum illo ad populum benedicendum amplius se convertere et insuper ultra proprii Calendarii festivitates plura SSrum Officia ab Ecclesia Latina fieri solita propria auctoritate introduxisse — „SSmus praefatas innovationes et si quae aliae apud eos vigeant contra proprios Ritus, expresse vetat ac prohibet eisque mandet, ut tam circa s. caeremonias in missa et div. Officii recitationem ac festivitates SSrum celebrandas a propriis rubricis et Calendario non recedant. Ex speciali tamen gratia eis concedendum esse, ut in civitate Venetiarum degentes, de festivit. D. N. ac SSrum, quae in Ecclesia latina cum abstinentia ab operibus servil. celebrantur, necnon s. Bened. abb. et s. Thomae Aquen. Officia cum missis

secundum praedictos Ritus recitare possint et valeant.

n. 4219 die 22. Julii 1751.

Vd.: *Ritus Graecus; Nativit. Dom.* (Missae — tres).

### 3) Benedictionis.

*Ad dubium:* An in benedictionibus, pro quibus Rituale non dat formulam, v. g. in benedictionibus seminum terrae mandandorum, efformando signum Crucis super rem benedicendam expediat dicere: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ R.: Amen? Atque adhiberi debeat cereus accensus? et res aspergenda sit aqua benedicta?

S. C. resp.: Producendum signum Crucis super re benedicenda cum formula: *In nomine Patris etc.*, deinde rem ipsam absque cereo accenso cum aqua benedicta aspergendam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

Vd.: *Bened.*

### 4) S. Communionem distribuendi.

Vd.: *Communio; SS. Sacram.* (distributio).

### 5) Congregatio S. R. instituta a Sixto V.

#### *Sixtus PP. V.*

Cum sacri Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex apostolica traditione et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, divinis Officiis omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacramentorum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant et devotionis eas igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris Ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere:

Quinque Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere

debeat, ut veteres Ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae, si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris Ritibus et caeremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; Officia divina de ss. patronis examinent et nobis prius consultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex patrum traditione fiant, et ut reges et principes eorumquo oratores aliaeque personae, etiam ecclesiasticae, ad Urbem Curiamque romanam venientes, pro Sedis apost. dignitate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem suscipiant seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus aut alibi caeteras in hujusmodi sacris Ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant. Die 11. Maii 1587.

(Bull. r. t. VIII. p. 989. Ed. Aug. Taur. 1863.)

### 6) Consecrationis ss. particularum.

Juxta Rubricas Missalis part. 2. tit. V. n. 3. hostiae pro communionem populi conservandae ponuntur vel super corporale vel in alio calice seu vase, quaeritur: an per illud vas intelligere liceat aliam patenam, in qua ponerentur hostiae consecratae? Insuper: an hostiae consecrandae poni possint in alio corporali plicato in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis consecrationis explicetur, ut discooperantur hostiae?

S. C. resp.: Si multae sunt particulae consecrandae, satius est eas ponere in pyxide, si paucae, poni possunt in alia patena, nunquam vero in alio corporali complicato.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192.)

### 7) Festorum.

Vd.: *Festa B. V. M.; Duplex* (Dignitas).

Quando pro aliquo festo vel Officio concessus reperitur Ritus duplex absque expressionis majoris vel minoris, concessio intelligenda est de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparae facta fuerit.

S. R. C. 2. Oct. 1683.

Obligatio audiendi missam non elevat Ritus, sed Officium relinquit in suo Ritu.

Die 2. Sept. 1741.

Octava non elevat Ritus.

Die 11. Jan. 1741.

### 8) Graecus.

Vd.: *SS. Sacrament.* (distributionis ritus); *Missae* (plures presbyteri graeci); *Ordinatio Graecor.*; *Missae* (ritus non mutandus); *Unctio in Baptism. Graecor.*; *Unctio in Confirmat.*; *Unctio extrema*; *Missae* (altare); *De transitu a ritu graeco ad latinum*, vd.: *Unctio in Baptism. Italo-Graecor.* n. XII. XIII. et: *Ritus latinus; Nativit. D.* (missae tres). *Utrum presb. graecus latino more et presb. latinus graeco ritu celebrare possit?* vd.: *Ritus latin.* (utrum presbyter etc.).

*Instructio super aliquibus Ritibus Graecorum pro Episcopis Latinis, in quorum dioecibus Graeci vel Albanenses graeco Ritu viventes degunt.*

#### *Clemens PP. VIII.*

Presbyteri graeci baptizatos chrismate in fronte non consignent et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba: *καὶ μετὰ*

*τὴν εὐχὴν* etc. usque ibi: *εἶπα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κυκλοῦ*, hoc est, et post orationem etc., ubi habetur forma hujus consignationis, usque ad verba: Postea facit sacerdos figuram circuli etc.

§. 1. Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos a Presbyteris graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirmet; et tutius videtur, ut cum cautela et sub conditione id faciant, videlicet: N., si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis † et confirmo te chrismate salutis † in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; praesertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis graecis fuerint baptizati.

§. 2. *Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum*, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur.

Non asservetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi vel etiam miscendi sacro oleo ac iterum coquendi vel alias exsiccandi species Sacramenti sacrae Eucharistiae feria quinta Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

Si Graeci velint accipere *altaria portatilia* ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum throni sive throni super altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

*Corporalia* uti Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

§. 3. *In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possint Latinos absolovere.*

Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex Ritu Graeco in die Epiphaniae vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur.

*Circa oleum sanctum Catechumenorum et Infernorum.*

Non sunt cogendi Presbyteri graeci olea sancta praeter chrisma ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum cujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur seu benedicantur. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum Ritus, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Episcopis graecis externis schismaticis seu S. R. E. communionem non habentibus illud accipere vel eo uti.

§. 4. *Ordinati* ab Episcopis schismaticis, correcti vel emendati reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentibus salutaribus; dummodo errores vel saltem schisma Ordinatoris abjurent in iudicio, vel publice vel secreto pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate hujusmodi occasione contracta auctoritate sanctae Sedis apost. fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, sive pro ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed detinendi quoad sancta Sedes apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

Graeci sine literis dimissoriis Episcopi latini dioecesani ad sacros ordines promoti suspensi sunt, et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.

Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a sancta Sede apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus latinus Graecum aliquem ordinare voluerit, qui a Presbytero graeco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione videlicet: N., si es confirmatus etc., ut supra. Presbyteri vidui seu uxoribus orbati habitum deferant diversum ab aliis.

§. 5. Curent Ordinarii locorum, ut decretum Sacri generalis Conc. Trid. de reformatione *matrimonii* vertatur in linguam graecam vulgarem et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium evulgetur et publicetur.

Matrimonia inter conjuges graecis dirimi seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittantur aut patiantur, et si qua de facto processerunt, nulla et irrita declarentur.

Maritus latinus uxoris Graecae Ritus non sequatur.

Latina uxor non sequatur Ritus mariti Graeci.

Graeca vero uxor sequatur Ritus Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque conjugum in suo Ritu, catholice tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris Ritus, nisi praevaluerit mater latina.

Presbyter graecus conjugatus ante sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam vel per hebdomadam vel per triduum absteineat ab uxore.

§. 6. Graeci credere tenentur, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, praesertim si degant inter Latinos aut necessitas postularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Numquam monachis graecis seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate aut alia justa causa.

Presbyteri saeculares graeci, abjuratis schismate et erroribus atque in fide catholica bene instructi, in parochialibus seu curatis Ecclesiis Graecorum institui possunt.

Tolerandus est apud Graecos usus carniuum die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum et inter eos tantum.

Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinendum.

In jejuniis biduanis vel triduanis vel alias a dioecesanis vel in Jubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis dies Sabbati in eis comprehensus vel praescriptus in alium diem pro plebibus graecis ab ipsis dioecesanis, apostolica auctoritate SSmi D. N. D. Clementis divina providentia Papae Octavi permittitur commutari.

Si ipsi Graeci ad observationem jejuniorum et vigiliarum latinae Ecclesiae induci possent, optimum esset, sed non cogantur, et cum ipsi qualibet hebdomada et feria 4. et feria 6. jejunent.

Graeci existentes inter Latinos dies festos de praecepto ejusdem latinae Ecclesiae servare teneantur.

§. 7. Insuper idem SSmus D. N. constituit, Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum, qui Graecos Episcopis latinis Italiae et insularum adjacentium subjectos, ab Episcopo graeco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis, ritu graeco ordinet.

§. 8. Ita Sanctitas Sua ex sententia Congregationis super reformatione Graecorum decrevit et declaravit ac fieri mandavit Romae in Palatio Montis

Quirinalis apud s. Marcum die 31. mensis Augusti 1595.

(Bull. r. t. III. p. 52. Ed. Luxbg. 1742.)

*Syriacis et Armenis in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritus servari praecipitur; omnes graecos et orientales Ritus conservandos esse decernitur; monenturque missionarii, ut in Orientalibus convertendis eos non a suis approbatis Ritibus avertant.*

De interpret. sequ. Constitut. vd.: *Ritus latin.* (Utrum in Ordinatis ad Ordines etc.)

*Benedictus PP. XIV.*

*Allatae sunt* ad S. Congr. Propag. Fidei literae Sacerdotis cujusdam Sacris Missionibus exercendis deputati in civitate Balserae, quam vulgo Bassoram vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat et mercatorum negotiantibus est celeberrima; quibus literis exponendum censuit, plures in illa urbe commemorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe aut Syriacos, qui peculiari templo carentes ad Latinorum Missionariorum Ecclesiam se conferunt, ubi eorum Sacerdotes Missarum Sacrificia juxta peculiare ipsorum Ritus offerunt aliasque sacr. Caeremonias perficiunt; Laici autem hujusmodi Sacris intersunt et Sacramenta ab iisdem Sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi: utrum praedicti Armeni et Syriaci catholicum suum Ritus observare debeant, an vero ad tollendam varietatem in ipsa Ecclesia, in quam Latini etiam, ut diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni et Syriaci, relicto veteri Calendario, novum amplectantur in iis, quae pertinent ad statuenda tempora paschalis solemnitatis et annuae Communionis, sicuti etiam Qua-

dragesimae dierumque festorum tam mobilium quam immobilium; atque ulterius progrediendo quaesivit: quatenus praedictis Balserae Armenis et Syriacis novum Calendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent templum sed adeo angustum, ut sacris functionibus decenter obeundis impar deprehendatur ideoque ad Ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

§. 2. Haec, uti diximus, a praedicto Missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram Nobis die 13. Martii hujus anni 1755 et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu responsum fuit: *nihil esse innovandum*. Id, quod Nos etiam auctoritate Nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die 31. Januarii anni 1702 edito, quod deinde confirmatum et renovatum non semel fuit et est hujusmodi: *Referente R. S. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario S. C. mandavit praecipere, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus et singulis Missionum apostol. Praefectis et Missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione aut praetextu audeat dispensare cum Catholicis quarumcumque nationum Orientalium super jeuniis, orationibus, caeremoniis et similibus, a proprio earumdem nationum Ritu praescriptis et a S. Sede apostolica approbatis. Praeterea eadem S. C. censuit: non licuisse nec licere praefatis Catholicis ullatenus a proprii Ritus, a S. R. E. ut supra approbati, consuetudine et observantia recedere. Hujusmodi autem decretum ut sit confirmatum ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis*

*Praefectis et Missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere mandarunt.* Quod quidem decretum respicit Catholicos Orientalis Ecclesiae eorumque Ritus ab apostolica Sede approbatos; Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor Ritibus constare, Graeco videlicet, Armeno, Syriaco et Coptico, qui sane Ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae latinae romanae nomine, Ambrosianus, Mozarabicus et varii peculiare Ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

§. 3. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo Commentario indigeat. Quare Nostra haec Encyclica Epistola eo tendit, ut hujusmodi lex omnibus cognita fiat atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quaestiones a Missionario Balserae propositas ex ignorantia decretorum, quae jam pridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex multis atque frequentibus indiciis conjicimus, Missionarios latinos in id curam et cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a Schismate et errore ad unitatem sanctamque catholicam religionem Orientalem Ritus de medio tollant aut saltem labefactent, Catholicos Orientales ad latinum Ritus amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio religionis amplificandae, et opus bonum Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) haec Nostra Encyclica Epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia amplecti, quae, juxta apostol. Sedis sententiam, pro norma haberi debent, quoties Orientales ad catholicam religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in locis,

ubi aut nulli degunt Latini aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

§. 4. Sane historiam ecclesiasticam ne quidem primis, ut ajunt, dubiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent post funestum schisma Photii, qui tempore Summi Pontificis s. Nicolai I. Constantinopolitanam Sedem depulso per vim s. Ignatio Patriarcha legitimo invasit. S. Leo IX. Praedecessor Noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut hujusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II. Graecos ad Barensae Concilium invitavit, sed exiguum fructum consecutus est, tametsi s. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod beatus Gregorius X. coegerat, Michael Paleologus Imperator et graeci Episcopi unitatem romanae Ecclesiae amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursus desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV. SS. Pontifice, ad quod Joannes Paleologus et Joseph Patriarcha Constantinopolis cum caeteris Orientalibus Episcopis conveniant, unio statuta fuit et uniuscujusque subscriptionibus acceptata, eodemque in Concilio Armenorum et Jacobitarum Ecclesiae ad obedientiam Sedis apost. redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus Legatos etiam regis Aethiopum excepit ac Syros, Chaldaeos et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio s. Matthaei cap. 13., semen, quod cecidit super petram, nullum affert

fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem, facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur*; ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius unionem convellere adnixus est et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperit.

§. 5. Praeterea ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret ita cum Orientalibus unionem peractam firmatamque fuisse, ut dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio reciperent atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque* symbolo factam, ut panem non minus fermentatum quam azyzum Sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur, ut dogma Purgatorii, visionis beatificae ac Primatus Romani Pontificis amplecterentur, uno verbo omnem curam collatam fuisse, ut errores Catholicae Fidei adversi eveherentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili Orientali Ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cum satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad unitatem Graecis semper cogitarunt, eandem viam, quam paulo ante indicavimus, semper instituisse et adhuc insistere, sicut ex ipsorum cum dictis tum factis manifeste colligitur.

§. 6. Undecimo saeculo nonnullae Constantinopoli, Alexandriae et in Patriarchatu Jerosolymitano reperiebantur Latinorum Ecclesiae, in quibus latinus Ritus servabatur, quemadmodum Romae non deerant Graecorum templa, in quibus ipsi graeco Ritu sacra munera perolvebant. Michael Cerularius, impius